

hibita, perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio huiusmodi gradu recedere; et Siricius¹: Nunc praefatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicę petrae, supra quam Christus universalem construxit ecclesiam, soliditate divelli; et Zosimus²: Quodsi quis interdicta despexerit, gradus sui periculo subiacebit; et Leo³: Si quis contra constituta venire temptaverit et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum nec communionis

*f. 29. nostrae futurum esse consortem * [qui]^a socius esse noluit disciplinę; et ceteri diversorum conciliorum canones et Romanae sedis pontifices in hunc modum de multis et diversis causis decernant: nos⁴, qui eorum iussa exequimur, nihil aliud quam iuste iudicantium fautores et iustorum iudiciorum exsecutores oboedientiam sancto spiritui, qui per eos locutus est, et sedi apostolicae dependentes existimus, qui sub uno capite multi⁵ unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Conexio autem totius corporis, ut Leo et Symmachus scribunt, unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et haec quidem conexio totius corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum, quorum ad⁶ instar sanctae trinitatis, cuius una est atque individua^b potestas, unum est per diversos antistites sacerdotium. Quibus⁷ etsi ordo est generalis, non tamen communis est dignitas omnibus, sicut et de beatissimis apostolis novimus, quorum par fuit electio, sed inter eos in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis et beato Petro datum est, ut ceteris praemineret.

25. Qua de re velut cooperatores apostolicae sedis in agro vel vinea dominica sub ipsius constitutis laborare satagimus, qui secundum ipsius doctrinam verbo praedicationis insistimus, secundum eius traditionem munia divina exequimur, secundum eius decreta in iudicando quae ab ipsa sunt iudicata exerimus. Qui in beato Petro et in ceteris apostolis pro patribus nati filii⁸, id est, *f. 29^a. ut diximus⁹, pro eisdem *apostolis ordinati episcopi principatum

^a) fol. 29 beginnt mit einem für etwa 2 Buchstaben Raum bietenden Loch. ^b) -idua auf Ras.

¹) MIGNE 67, 233 c. 2; HINSCHIUS S. 521 c. 2 (J.-K. 255). ²) MIGNE 67, 263 c. 2 rubr.; HINSCHIUS S. 553 (J.-K. 339). ³) MIGNE 67, 280 c. 5; HINSCHIUS S. 615 c. 5 (J.-K. 402). ⁴) Vgl. Hinkmar, MIGNE 126, 421; oben S. 57. ⁵) Leo I. an Anastasius von Thessalonich, MIGNE 67, 295 c. 41; HINSCHIUS S. 620 c. 10 (J.-K. 411). ⁶) Symmachus an Aeonius von Arles, MG. Epist. 3, 35 (J.-K. 754). ⁷) Leo I., vgl. oben N. 5. ⁸) Vgl. Ps. 44, 17. ⁹) Oben I, 22 S. 86.